

rum illatum extremitates communi recta in plano jungantur, duæ illæ lineæ ad planum perpendiculares vel æqualiter inclinatæ, erunt quoque perpendiculares vel æqualiter inclinatæ ad eandem lineam jungentem; est enim in eodem plano. Quare (ex parallelarum def.) rectæ illæ erunt parallelæ, & viceversa.

PROP. II. *Duo plana sibi mutuo inclinata easdem habent proprietates, quas in rectis ad se invicem inclinatis demonstravimus.* Ponamus planum aliquod A immobile, in quo jaceat planum aliud B lineis rectis terminatum, qualia sunt polygona rectilinea; hæc duo plana utpote omni crassitie destituta in unum coalescunt planum. At sit planum B, quod revolvi intelligatur circa latus aliquod plano A fixum perpetuo manens, totum plani motum sibi facile quisque representabit. Et quidem 1 ab ipso motus initio nihil duobus planis manebit commune præter rectam, circa quam planum B revolvitur, quæ proinde est utriusque plani intersectio 2 Planum illud singulos percurrat inclinationis gradus, si tamdiu convertatur, donec ad oppositam plani A partem perveniat . . . 3 Planum revolvens plano immoto fiet perpendiculare, ubi ad eum pervenerit situm in quo non magis pendeat ex una parte quam ex alia 4 Singulos inclinationis gradus metietur arcus circuli cujus centrum perpetuo manebit in communi planorum intersectione. Quia vero centrum in ipso circuli plano jacet, necessum est hujus arcus centrum esse in linea recta cujus revolutione generatur ipsum